



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Angeli mali peccato superbiæ lapsi, mox æternæ damnationis sententiam
tulerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

NATURAE ANGELICAE. 27

esse despexit. Ita enim Deus super omnia est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan verò iste ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perversæ libertatis appetiit, ut & præesset cæteris, & nulli subesset. Invidiam verò, qua Lucifer in hominem exarsit, posteriorem ipsius ruinâ fuisse, idem S. Pontifex docet in Libro Pastoralis P. 3. c. 11. scribens: De illo namque scriptum est: Invidiâ autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. Quia enim ipse malignus spiritus adversarius noster cælum perdidit, condito ad hoc homini invidit, & damnationem suam perditus adhuc alios perdendo cumularit.

Angeli simul ac peccaverant, in infernum precipites acti sunt, quin vel spatio, vel gratia ad resipiscendum donati fuerint. Sic enim testatur S. PETRUS in ep. 2. c. 2. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni delectos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari. Et S. JUDAS in ep. sua canonica c. 6. Angelos verò, ait, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caliginere servavit. Non tamen ita in tartarum detrusi sunt, quin ex eo aliquando egredi permittantur, dicente Apostolo ad Ephes. 6. Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cælestibus. Et ibid c. 2. v. diabolum vocat Principem potestatis aëris hujus, cui se, obsequuntur, & subjecti sunt demones, qui in aëre degunt. Sic etiam Luc. 8. v. 31. demones,

16.
Ange-
lo
rum
rebel-
lium
pœna.

nes, cum se ex infelsis corporibus à Christo exturbandos viderent, rogaverunt illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent. Principem tamen diabolum, sive Satanam, cum antea per orbem impune volitaret, Christi virtute ad inferos retrusum esse, & in abyssu religatum vinculis quibusdam & catenis asservari, plerique colligunt ex *Apoc. c. 20.* *Vidi Angelum descendentem de caelo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua: & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanus (quo nomine demonum Princeps venit) & ligavit eum per annos mille. Et misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Unde etiam Christus ait *Joann. 12. v. 31.* *Nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi ejicietur foras.* Dæmones autem ad infernum detrusos vero igne corporeo torqueri, luculente probant verba Christi *Matth. 25.* *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Eadem est communis ferè Ss. PP. sententia. *Gehenna illa* (inquit S. AUGUSTINUS L. 21. de civ. c. 10.) *quod etiam stagnum ignis & sulfuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum, & dæmonum, solida hominum, aërea dæmonum, aut tantum corpora hominum cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes, sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus.* Et *ibid.* *Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones adseverat, non est de hac re aut laborandum*

*dum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affici, si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? adhærebunt ergo, si nulla sunt eis corpora, spiritus dæmonum; immo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inpirentur, & animalia fiant, quæ consent spiritui & corpore: sed, ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Itaque cruciabantur igne bestia, & asseclæ ejus (Apoc. 14. v. 10.) miris sed veris modis. Modum hunc TT. cum S. THOMA q. 64. a. 4. ad 3. explicant per alligationem, ajuntque dæmones eo ipso torqueri, cruciarique ab igne, quòd in eo vincti alligatique detineantur alligatione tum locali, quatenus ad illum continuò hærerè coguntur; tum intentionali, inquantum coguntur perpetuo de illo igne cogitare tamquam de justitiæ divinæ instrumento obedientialiter, ut ajunt, concurrente ad cognitionem & tristitiam de amissâ beatitudine excitandam ultra gradum, in quo alioquin illam naturaliter eliceret spiritus damnatus. Est sanè admodum grave supplicium Angelorum, ubi intelligunt se tam nobiles & summè agiles spiritus in sceleris admissi pœnam damnatos ad locum infimum esse, atque ad objectum puniendis corporibus re ipsa destinatum: grave supplicium est, necessitari conti-
 nuò*

nuò tum à peccati temere admissi memoriam, tum ad beatitudinis jacturam nullo commodo factam merite recolendam, quin à pœnalibus hujusmodi actibus ullo unquam tempore cessare queant. Illa autem cognitio afflictiva, & quæ inde consequitur, tristitia tantò acerbior est, quantò quisque Angelorum gravius peccavit. Patet ex his, etiam dæmones extra carcerem infernalem errantes ab igne torqueri, non quòd eos comitetur ignis, ut quibusdam visum est; sed quòd ubicunque sunt, isti se carceri addictos perpetuò cogitant, eoque tandem redituros esse, ac in omnem ibi æternitatem permanuros.

α) Non defuerunt ex antiquis, qui inferni ignem corporeum esse negarent: & quidem *Origenis* hac super re sententiam recitat S. *HIERONYMUS* in ep. 59. ad *Avitum*: *Ignis quoque gehennæ, & tormenta, quæ Scriptura Sancta peccatoribus comminatur, non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum: quando Dei virtute & potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur; & veluti ex quibusdam seminibus in anima derelictis universa vitiorum seges exoritur: & quidquid feceramus in vita vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur, ac præterea voluptates mens intuens conscientia punitur ardore, & penitudinis stimulis confoditur.* Itaque *ORIGENES* per ignes æternos intelligebat conscientiam peccatorum, & penitudinem interna cordis urentem. Similiter *THEOPHYLACTUS* in c. 9. *Marcii* ait: *Vermis autem & ignis, qui peccatores puniunt, uniuscujusque conscientia est, & memoria eorum, quæ in hac vita turpia commissa sunt: quæ tanquam vermis consumit, & sicut ignis incendit.* Cujus opinionis falsitatem satis demonstrant, quæ dicta sunt in Tomo III, pag. 615. & seqq. Quamvis autem corporeum, & materiâ constantem esse inferorum ignem TT. hodie omnes, immo & Christiani consentiant, nullo tamen Ecclesie Decreto obsignatum

tum videtur, ut notat VASQUEZ in 1. P. Tom. 2. Disput. 243. c. 1. Neque enim ulla in Synodo istud fancitum est, etsi nonnulli rem esse Fidei pronuntient.

β) Dæmones post admissum peccatum non statim ad infernum detrufos esse, Veterum plures arbitrati sunt. Quidam in aëre, ac supra terras tantisper degere illos putabant: alii etiam supplicii interim dicebant & ignis expertes, dum extremus mundi occasus, & iudicii dies adveniat. *Hi igitur Angeli, inquit ATHENAGORAS in Legatione pro Christianis, qui cum cælis excidissent, circa aërem & terram obversantes, non amplius evehi supra cælos possunt.* Similiter TERTULLIANUS in Apolog. c. 22. dæmones aëris incolas agnoscit inquiens: *Habent de incolatu aëris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium, cælestes sapere paraturas.* In eadem opinione fuit S. AUGUSTINUS L. 3. de Gen. ad lit. c. 10. ubi dæmones aërea vocat animalia, quæ post lapsum ad imam terrisque citimam aëris regionem detrufa sint. *In qua fortassis parte (superiori & serena aëris) si fuerunt ante transgressores Angeli cum Principe suo nunc Diabolo, tunc Archangelo (nam nonnulli nostrum non eos putant cælestes, aut supercælestes Angelos fuisse) non mirum, si post peccatum in hanc sunt detrufi caliginem; ubi tamen & aër sit, & humore tenui contexatur.* Et paullo post: *Nec aëris, inquit, saltem spatia superiora, atque puriora, sed ista caliginosa tenere permitti sunt, qui eis pro suo genere quasi carcer est, usque ad tempus iudicii.* Pariter RUPERTUS L. I. Comment. in Gen. c. 17. dæmones omnes in aërem dejectos usque ad supremi iudicii diem ibi manere statuit. *Ille, inquit, terribiliter indignatione Dei, tremantibus cunctis Angelorum ordinibus, cælo excussus in hunc aërem miser cecidit, ab omni luce extinctus, & jam in æternum lucem Dei non visurus.* Et nunc quidem in hunc aërem illum esse dejectum, & omnes satellites ejus, quos aëreas catervas dicimus, passim in Scripturis habemus. . . . *Futurum est autem, ut infernum inferiorem videntibus cunctis præcipitetur in ignem æternum, qui paratus est ei, & Angelis ejus.* S. HIERONYMUS in c. 32. Ezech. post Eusebium L. 7. de Preparat. Evang. dæmonum alios in aëre, in inferis alios collocat. Sed, ut dictum, ista opi-

nio hodie prorsus obsoleta est, Erroris tamen, nedum haeresis, accusandus non est, qui asserit Diabolum, & ejus Angelos nondum extremo, & summo ignis supplicio cruciari. Certè Synodus FLORENTINA in Decreto Fidei, de hominum duntaxat animabus constituit, eas se quæ in lethali peccato sive personali, sive originali decesserint, mox ad inferos descendere, ibique pœnas, licet inæquales, pendere. Ita PETAVIUS L. 3. de *Angelis* c. 4.

γ) Ad numerum Angelorum damnatorum quod attinet: Ss. Patres ex *Apoe.* c. 12. *Ecce draco magnus . . . & cauda ejus traherat tertiam partem stellarum caeli, & misit eas in tartarum;* colligunt, magnum Angelorum numerum peccasse, ita tamen, ut plures Deo fideles persisterint, diabolum vero inter peccantes Angelos supremum fuisse, quin tamen summum inter omnes cœlestes spiritus dignitatis locum obtinuerit, quod VV. multi ex *e.* 28. *Ezech.* arbitrati sunt.

§. III.

De Hierarchia, Tutela & Infestatione Angelorum.

17. Hierarchia. Angelos omnes in Hierarchias tres, harum singulas in tres ordines primus distribuit DIONYSIUS. Hierarchia autem ex ejusdem placito est *Sacer ordo, & scientia actioque, ad divinam similitudinem quoad licet, accedens, & pro commissarum ipsi divinitus illustrationum ratione ad Dei se imitationem efferens.* Qui itaque Hierarchiam dicit, sacram quamdam universe ordinationem significat, ad divini illius decorem Principatus expressam, & in hierarchicis ordinibus, ac scientiis propriae illustrationis mysteria sacris ritibus administrantem, ac suo principio, quantum fas est, assimilatam. Nempe sicut Dei proprium est purgare, illuminare, ac perficere; sic Hierarchia, h. e. Principatus sacrorum iis, quibus inest, eadem illa præstandi vim & facultatem adfert, sicque efficit, ut ad